

DOMINICA I POST PENTECOSTEN

S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI

Themata sermonis

Evangelium in prima dominica post Pentecosten:
Homo quidam erat dives, quod dividitur in quattuor clausulis.

In primis sermo ad praelatum vel praedicatorem Ecclesiae, qui in funda et lapide, idest opere et sermone, debet devincere diabolum, unde ibi: *Tulit baculum.*

[DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo contra divites huius mundi, ibi: *Erat vir quispiam in solitudine Maon.*

Item sermo contra delectationem quinque sensuum, ibi: *Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem.*

Item sermo contra gulosos, ibi: *Veniebat sacerdotis puer.*

Item sermo de caritate, ibi: *Deus caritas est.*

Item sermo moralis de divite, idest corpore, et Lazaro, idest anima peccatrice, ibi: *Homo quidam.*

Item sermo de piscina et eius quinque porticibus et eorum significationibus, ibi: *Erat Ierosolymis probatica piscina.*

Item sermo ad praedicatores, ibi: *Sed canes veniebant.*

[DE SECUNDA CLAUSULA]. Sermo de divite et paupere, ibi: *Erant duae feminae, Phenenna scilicet et Anna.*

Item sermo de damnatione divitis et gloria pauperis, ibi: *Dagon iacebat in terra, et ibi: In nidulo meo moriar.*

Item sermo de sepultura impii, ibi: *Haec dicit Dominus ad Ioachim, et ibi: Cum morietur homo.*

[DE TERTIA CLAUSULA]. Sermo contra detractores, ibi: *Noli esse in conviviis populi, et de triplici gladio*

detractionis.

Item notandum quod in mortali existenti bona de genere bonorum quae facit ad quinque prosunt.

Item sermo contra illos qui divitiis et deliciis vivunt, quibus cito carebunt, ibi: *Tulit David hastam et scyphum aquae.*

[DE QUARTA CLAUSULA]. Sermo de domo Patris et quinque fratribus divitis et de eorum significationibus, ibi: *Rogo te, pater.*

Item sermo de servitute quinque sensuum, ibi: *Festnavit et surrexit Abigail.*

Exordium. Sermo ad praelatum vel praedicatorum Ecclesiae

1. --- In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: *Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide etc. (Lc 16, 19).*

Dicitur in primo libro Regum quod David *tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram pastorem, quam habebat secum, et fundam manu tulit, et processit adversum Philisthaeum (1 Reg 17, 40).* Nota ista quattuor verba: baculum, quinque lapides, peram et fundam. In baculo crux Christi, in quinque lapidibus scientia Veteris Testamenti, in pera gratia Novi, in funda aequa libra iudicii. David ergo, idest praedicator, debet accipere baculum, idest Christi crucem, ut, ipsi innixus, facilius possit sustinere viae laborem.

De hoc baculo dicitur in Genesi: *In baculo meo transivi Iordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior (Gen 32, 10).* Vir iustus in baculo crucis Iesu Christi transit fluxibilem amorem huius saeculi, et sic cum duabus turmis, idest vitae activae et contemplativae

praemiis, revertitur in terram promissionis. Hunc baculum semper praedicator debet habere in manibus, id est operibus. Unde Habacuc: *Splendor eius ut lux erit, cornua in manibus eius (Hab 3,4)*. Splendor sanctae vitae et praedicationis est lux peccatoris: *Vos estis, inquit, lux mundi (Mt 5, 14)*. In ipsius praedicatoris manibus debent esse cornua crucis, ut, in ipsis manibus affixus, ad nulla illicita ipsas extendat.

Et elegit quinque limpidissimos lapides de torrente et misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum. Pera vas est, in quo lac reponitur, et significat Novum Testamentum, in quo gratia, lacti comparabilis, invenitur. Lacte enim nihil gratius, quoniam mater lac gratis praebet filio, nihil requirens ab eo. Quinque lapides sunt quinque libri Moysi, per quos scientiam totius Veteris Testamenti intelligimus, quos praedicator in adiutorium suae praedicationis de torrente, id est abundantia Sacrae Scripturae, debet tollere et in peram Evangelii reponere. In Novo enim Testamento Veteris intelligentia reponitur, quia *rota est in medio rotae (Ez 1, 16)*.

Vel, per quinque lapides quinque sensuum durae increpationes designantur, quibus carnis sensibus dediti durissime sunt feriendi. Nam Veteris Testamenti transgressores, lapidibus obruti, figurabant Novi Testamenti peccatores, duris increpationibus feriendos.

Et fundam, inquit, manu tulit et processit adversus Philisthaeum. In funda, quae aequales habet habenas, doctrinae et vitae aequalitas designatur. Hanc fundam praedicator manu debet tollere, ut manus ori, conversatio praedicationi aequaliter respondeat; et sic adversus Philisthaeum poterit procedere et ipsum interficere. "hilisthaeus interpretatur portione cadens et significat huius mundi divitem purpuratum, portione gulae et luxuriae inebriatum, qui a gratia cadit in culpam et a

culpa postmodum ruiturus in gehennam, de quo dicitur in hodierno Evangelio: *Homo quidam erat dives* etc.

2. --- Nota quod in hoc Evangelio quattuor notantur. Primum, divitis purpurati et Lazari mendici inaequalis conversatio, cum praemittitur: *Homo quidam*. Secundum, utriusque defunctio, cum adiungitur: *Factum est autem, ut moreretur mendicus* etc. Tertium, divitis poena et Lazari gloria, ibi: *Elevans autem oculos suos* etc. Quartum, divitis pro quinque suis fratribus deprecatio, ibi: *Rogo ergo te, pater*, etc. His quattuor clausulis quasdam historias primi libri Regum, prout Dominus dederit, concordabimus.

Nota etiam quod in introitu istius dominicae cantatur: *Domine, in tua misericordia speravi*; et legitur epistola beati Ioannis: *Deus caritas est*, quam in quattuor particulis volumus dividere et cum quattuor supradictis Evangelii clausulis concordare. Prima particula: *Deus caritas est*. Secunda: *In hoc perfecta est caritas*. Tertia: *Timor non est in caritate*. Quarta: *Nos ergo diligamus Deum*.

I - De divitis purpurati et Lazari mendici Inaequali conversatione

3. --- Dicamus ergo: *Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide* etc. Iste dives, quasi ignotus apud Deum, nomine non designatur. Dignum utique fuit, ut eius nomen non scriberetur in hoc sancto Evangelio, quod numquam erat scribendum in vitae aeternae libro. Ad cuius exprobrationem praemittitur: *Homo quidam*. De eo enim quem exprobramus vel nescimus solemus dicere: *Homo quidam*. Iste *homo quidam* omnis hominis mundani, carnalis et venundati sub peccato, personam gerit, de quo dicitur in Psalmo: *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum*

suarum, et praevaluit in vanitate sua (Ps 51, 9). Nota ista tria: non posuit, speravit et praevaluit. His tribus illa tria Evangelii verba respondent: Homo quidam erat dives, et ideo non posuit Deum adiutorem suum. Et induebatur purpura et bysso, quia speravit in multitudine divitiarum suarum. Et epulabatur quotidie splendide, et sic praevaluit in vanitate sua.

Super hoc habes concordantiam in primo libro Regum: *Ecce vir quispiam in solitudine Maon, et possessio eius in Carmelo; et homo ille magnus nimis (1 Reg 25, 2). Et ecce erat ei convivium in domo eius quasi convivium regis, et cor eius iucundum: erat enim ebrius nimis. Nomen autem viri illius erat Nabal (1 Reg 25, 3).* Nabal, stultus; Maon, habitatio; Carmelus mollis interpretatur. Huius auctoritatis tria verba tribus sancti Evangelii verbis respondent. In Evangelio dicitur: *Homo quidam erat dives;* in primo libro Regum: *Erat vir quispiam.* Ibi dicitur: *Et induebatur purpura et bysso;* hic: *Et homo ille magnus nimis.* Ibi: *Et epulabatur quotidie splendide;* hic: *Et ecce erat ei convivium etc.*

4. --- Dives huius mundi est stultus, quia non sapit ea quae sunt Dei; hic est *in solitudine Maon*, idest habitationis, de qua dicitur: *Fiat habitatio eorum deserta (Ps 68, 26); et possessio eius in Carmelo*, idest in mollitie. Unde Amos propheta: *Vae vobis qui dormitis in lectis eburneis et lascivitis in stratis vestris (Am 6, 4). Et homo ille magnus nimis.* Unde David: *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani (Ps 36, 25).* Et Iob: *Vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini eius statim (Iob 5, 3). Et ecce erat ei convivium in domo eius, quasi convivium regis etc.* Unde Amos: *Vae vobis qui opulenti estis in Sion, qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti, bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti (Am 6, 1.4.6).* Et Isaias: *Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem*

sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis! Cithara et lyra et tympanum et tibia et vinum in conviviis vestris; et opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis (Is 5, 11-12).

In his quinque instrumentis quinque sensuum delectatio figuratur. Cithara, quae in se chordas mortui animalis habet extensas, est visus, qui rei, quam ardentem aspicit, quasi se extendit. Lyra, dicta a varietate vocum, quod diversos sonos efficiat, est auditus, qui varietate vocum delectatur. Tympanum, quod manibus percussum resonat, est tactus. Tibia est olfactus narium, per quas tamquam per tibiam flatum emittimus. Vinum ad gustum refertur. Istis quinque sensibus dediti opus Domini, quod operatus est in medio terrae, scilicet passionem et mortem ipsius, non respiciunt; nec opera manuum eius, idest pauperes eius, quos ipse, tamquam figulus lutum, in rota praedicationis suis manibus formavit et in camino paupertatis excoxit, nolunt respicere.

5. --- Dicamus ergo: ***Homo quidam erat dives et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide.*** Nota quod in purpura saecularis dignitas, in bysso vestium pretiositas, in epulis gulae voluptas designatur. Purpura color regii habitus est, conchis marinis ferro circumcisis emissa. Conchae dictae, quia deficiente luna cavantur, idest vacuantur, pauperes significant, qui luna, idest mundi prosperitate, deficiente, bonis suis evacuantur. Istos ***homo quidam*** dives, saecularis potestas, ferro potentiae circumcidit et sanguinem pecuniae extrahit, et inde sibi dignitatis purpuram facit. Unde de talibus dicit Iob: ***Agrum non suum demetunt, et vineam eius, quem vi oppresserunt, vindemiant. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore (Iob 24, 6-7).*** Tali purpura illa meretrix, ut dicitur in Apocalypsi, erat circumdata (Cf. Apoc 17, 4). Homo quidam et

meretrix idem significant: homo, quia humum sapit, meretrix, quia diabolo se exponit.

Byssus est genus lini candidi et mollissimi, in quo vestium mollities designatur. Et *qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt (Mt 11, 8)*, idest daemonum. *In vestitu, inquit Ecclesiasticus, ne glorieris (Eccli 11, 4)*; et Petrus: *Non sit, inquit, exterius capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus cordis est homo incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples (1 Pt 3, 3-4)*.

Et epulabatur quotidie splendide. Super hoc habes concordantiam in primo libro Regum, quod *veniebat puer sacerdotis dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua, et mittebat eam in caldariam aut in ollam; et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi. Veniebat etiam puer sacerdotis et dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti; non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam (1 reg 2, 13-14.15)*. Sacerdos est venter. Puer huius sacerdotis, gulae appetitus, de quo dicit Salomon in Parabolis: *Puer qui relinquitur voluntati suae confundet matrem suam (Prov 29, 15)*. Si enim gulae appetitus non refrenatur, sed propriae voluntati relinquitur, matrem suam confundit, idest carnem, quae aliquando propter cibi immoderantiam aegritudinem incurrit, et quandoque ad laqueum ipsam perducit. Iste puer habet fuscinulam tridentem, idest trium dentium, in qua notatur triplex gulae rapina: aut enim aliena devorando comedit, aut sua prodige vivendo consumit, aut in cibis concessis tempus et modum non custodit. His tribus dentibus omne quod fuscinula levat sacerdos venter sibi vindicat, qui non carnem coctam sed crudam, ut lupus, sibi dari desiderat, ut eam accuratius praeparet. Bene ergo dicitur: *Et epulabatur quotidie splendide.*

6. --- *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus etc.* (Lc 16, 20). Oppone singula singulis; oppone aurum plumbo, ut plumbi vilitas ex auri splendore vilior habeatur. Ille *quidam homo*, iste *nomine Lazarus*. Ille *dives*, iste *mendicus*. Ille *induebatur purpura et bysso*, iste *ulceribus plenus*. Ille *epulabatur quotidie splendide*, iste *cupiebat saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat; sed et canes veniebant et lingeabant ulcera eius* (Lc 16, 21). Hos nec ipse poterat remove a se, nec visitator erat qui removeret. O divina dispensatio! O mendici beatitudo! O infelicis divitis damnatio! Nihil, inquit HIERONYMUS, infelicis felicitate peccantium. AUGUSTINUS: Non est evidentius signum aeternae damnationis, quam cum temporalia ad nutum succedunt. Sanctis autem Deus subtrahit temporalia, ne amittant aeterna. Unde GREGORIUS: Pueris nummos subtrahimus, quibus tamen totam hereditatem servamus.

Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus. Pauper humilis per approbationem ex nomine scitur. Iste Lazarus, qui interpretatur adiutus, omnium pauperum Iesu Christi personam gerit, quos ipse in necessitatibus adiuvat et sublevat.

Unde ista duo verba, *mendicus* et *Lazarus*, congrue coniunguntur. Mendicus dicitur, quia minus habet unde vitam degat, sive manu dicens, quia mos erat apud antiquos egentium os claudere et manum extendere, quasi *manu dicere*. Ille pauper a Domino est adiutus, quia verbis impatientiae os claudit et manum devotae mentis extendit.

Qui iacebat, inquit, ad ianuam divitis. Ecce arca Domini iacet coram Dagon (Cf. 1 Reg 5, 2). Sed attende paulisper et audies, versa vice, Dagon eiectionem et arcae erectionem. Pauper ianuam divitis non intravit, nec dives foris ipsi beneficium refectionis impendit. Non

autem talis erat Iob, qui dicit: *Foris non mansit peregrinus, et ostium meum viatori patuit (Iob 31, 32)*. Et iterum: *Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduae expectare feci. Si comedi bucellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea (Iob 31, 16-17)*.

Ulceribus plenus. Ulcus, quod nascitur in cute, putredo ipsa. Ulceribus plenus erat, qui paulo post per manus angelorum in sinum Abrahae erat deportandus.

Cupiens saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat. Mica dicta, quod in minimum cadens de pane. Verus pauper minimo est contentus, minimum cupit; quod minimum, cum Dei magno adiunctum, ipsum satiat et reficit. Sed qui panis micam noluit dare, aquae guttam non meruit accipere.

Sed et canes veniebant et lingebant ulcera eius. Ibi dicit GLOSSA: Si qua reprehensibilia in pauperibus videmus, non debemus despiciere, quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, hos medicina paupertatis curat. In una re duo iudicia Dei explentur, et ex visione pauperis diviti non miserenti cumulus damnationis infertur. Et rursum ex visione divitis quotidie tentatur pauper et probatur, quem ad maiorem ipsius probationem paupertas simul et aegritudo et visa divitis copia et nulla sibi adhibita consolatio afficiunt. Unde iste, ab omni humano auxilio destitutus et de solius Dei misericordia confisus, dicit in introitu hodiernae missae: *Domine, in tua misericordia speravi. Exultavit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi (Ps 12, 6)*. Nota quod tria dixit: *speravi*, et *exultavit cor meum*, et *cantabo Domino*. Verus pauper sperat in Dei misericordia, exultat cor eius in mundi miseria, et sic cantabit Domino in gloria aeterna.

7. --- Huic primae clausulae concordat prima

particula hodiernae epistolae: *Deus caritas est (1 Io 4, 8)*. Cum ceteris virtutibus caritas sit principalior, ideo de ea brevi et speciali sermone aliqua proponamus.

Eadem sane dilectio est, qua diligitur Deus et proximus, quae est Spiritus Sanctus, quia Deus caritas est. Haec regula, ut ait AUGUSTINUS, dilectionis divinitus constituta est, ut Deum propter se et toto corde, et proximum sicut teipsum diligas, idest ad quod et propter quod teipsum diligere debes. In bono enim et propter Deum teipsum diligere debes. In bono ergo diligendus est proximus, non in malo, et propter Deum. Proximum vero omnem hominem oportet intelligi, quia nemo est cum quo sit male operandum. Dilectionis Dei modus insinuatur, cum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, idest ex toto intellectu, *ex tota anima*, idest voluntate, *ex tota mente*, idest memoria, ut omnes cogitationes, omnem vitam et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea quae confers. Haec dicens nullam partem vitae nostrae relinquit, quae vacare debeat; sed quidquid venerit in animum, illuc rapiatur, quo dilectionis impetus currit.

Beatus Ioannes in hodierna epistola de caritate Dei et proximi multa proposuit, et ad ipsam nos invitavit: *In hoc*, inquit, *apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Deus Filium suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum (1 Io 4, 9)*. Quanta fuit Patris circa nos caritas, qui Filium suum unigenitum pro nobis misit ad nos, ut viventes per eum diligeremus eum, sine quo vivere est mori, quia *qui non diligit, manet in morte (1 Io 3, 14)*. Si sic Deus dilexit nos, ut sibi dilectum, per quem omnia fecit, nobis daret, et nos debemus invicem diligere. *Mandatum*, inquit, *novum do vobis, ut diligatis invicem (Io 13, 34)*. Quod mandatum dives purpuratus quia non custodivit, ideo in morte mansit. Vivens enim sepultus fuit, quia vitam, quae est caritas, non dilexit; peccavit, quia ordine

praepostero usus fuit.

Dicit AUGUSTINUS: Quattuor sunt diligenda: unum quod supra nos est, scilicet Deus; alterum quod nos sumus; tertium quod iuxta nos est, scilicet proximus; quartum quod infra nos est, scilicet corpus. Quod dives primo et principaliter dilexit: de Deo, sua anima et proximo non curavit, ideo damnatus fuit.

Corpus nostrum, inquit beatus BERNARDUS, sicut aegrum commendatum habere debemus, cui etiam multa volenti inutilia sunt neganda, utilia vero etiam nolenti ingerenda. Sic de eo agere debemus sicut de non nostro, sed eius a quo pretio magno empti sumus, ut glorificemus eum in corpore nostro. Caveamus ne cuique nostrum improperet Dominus per Ezechielem: *Oblita es mei, et proiecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum, et fornicationes tuas (Ez 23, 35)*. Quarto ergo et ultimo loco debemus diligere corpus, non tamquam propter illud vivamus, sed tamquam sine quo vivere non possumus. De cuius miserabili vita ad se vitam qui vivit in aeternum nos perducere dignetur. Qui est benedictus per aeterna saecula. Amen.

8. --- MORALITER. *Homo quidam erat dives* etc. Per hominem corpus, per Lazarum animam intelligimus. Homo, dictus ab humo, est corpus de humo creatum, de quo dicit Ieremias: *Maledictus homo qui confidit in homine (Ier 17, 5)*, idest in corpore suo. Maledictus qui in maledicto confidit. Corpus nostrum est maledictum. Unde in Genesi: *Maledicta terra, idest corpus, in opere tuo, idest propter opus tuum, idest propter peccatum inobedientiae. Et, qua maledictione maledictum? Spinas, inquit, et tribulos germinabit tibi (Gen 3, 18)*. In spinis fames, sitis et moriendi necessitas, in tribulis carnis tentatio, animam tribulans, designatur. Ecce maledicta terra quales fructus nobis germinat. De hoc maledicto

dicit Moyses in Deuteronomio: *Maledictus omnis qui pendet in ligno (Gal 3, 13)*. Lignum aridum est huius mundi gloria, in qua homo iste fune terreni amoris pendet suspensus, et ideo maledictus. Bene ergo dicitur: *Homo quidam erat dives*.

Heu! quantis divitiis homo iste affluit et affluere appetit, cui totus mundus non sufficit. Unius hominis corpusculo tot possessiones tot divitiae non sufficiunt. Iste miser homo in egressu ab utero matris non purpura et bysso, sed secundina, viscosa et horribili, exivit indutus, et in fine suae vitae ingreditur terram nudus et vacuus. Et hoc clarius possumus videre per ipsius corporis augmentum, statum et declinationem.

Nota quod, cum completur homo erit pars superior sui corporis minor inferiori. Et dico partem superiorem, quae est a capite usque ad exitus superfluitatum; et deinde usque ad extrema pedum dico partem inferiorem. Cum ergo fuerit homo puer, erit pars superior sui corporis maior, et cum decrepescit, erit e converso. Et haec causa diversitatis motus eius, cum fuerit in augmento, statu, declinatione. Quoniam infans in principio sui motus extra ambulat super pedes et manus, deinde erigit suum corpus paulatim donec iuvenescat et vigorescat; et cum processerit in aetatem incurvabitur. Istud miserum corpus in principio suae vitae est minimum, in senectute incurvatum, in medio vero, scilicet in iuventute, divitiis dilatatur, vestibus decoratur, epulis, tamquam porcus glandibus, impinguatur. Bene ergo dicitur: *Homo quidam erat dives et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide*.

9. --- Sequitur: *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus*. Lazarus mendicus est anima misera, pauper et mendica, quae iacet ad ianuam divitis, ulceribus plena. Ianuam divitis sunt quinque corporis sensus, in quibus

anima mendica iacet, ulceribus peccatorum plena. Unde dicitur in Ioanne: *Erat Ierosolymis probatica piscina, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum, expectantium aquae motum (Io 5, 2-3)*. Piscina dicta, quod sit piscibus plena, est corpus plenum piscibus, id est vanis et curiosis cogitationibus. Haec piscina habet quinque porticus, id est quinque sensus. Porticus dictus, quod sit apertus; quinque enim corporis sensus vitiis sunt aperti. Unde Ieremias: *Mors intravit per fenestras nostras (Ier 9, 21)*. Et Nahum: *Inimicis tuis ad apertionem pendentur portae terrae tuae; devorabit ignis vectes tuos (Nah 3, 13)*. Cum ignis concupiscentiae carnalis devorat vectes, id est gratuita et naturalia dona, quibus anima munita custoditur, tunc portae terrae nostrae, id est quinque sensus corporis nostri, inimicis nostris, id est vitiis et daemoniis, aperiuntur. In his quinque porticibus anima iacet languida, caeca, clauda et arida. Languida, quia virtutum viribus destituta; caeca, quia lumine rationis privata; clauda utroque pede, scilicet affectu bonae voluntatis et effectu boni operis; arida, humore compunctionis. Haec sunt ulcera quibus ad ianuam divitis plena iacet, *cupiens saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis*.

Mensa huius mundi prosperitatem significat, cuius quattuor sunt pedes: divitiae, honores, voluptates et corporis sanitas. De hac dicit Apostolus ad Corinthios: *Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum (1 Cor 10, 21)*. Mensa Domini fuit paupertas, cui ipse cum suis apostolis participavit; mensa daemoniorum est prosperitas saecularium, de qua Propheta: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem, et in scandalum (Ps 68, 23)*. Prosperitas fit carnalibus *in laqueum peccati, in retributionem Dei, qui retribuet eis mala inferni pro bonis saeculi, et in scandalum proximi*.

Micae de hac mensa cadentes sunt immundae cogitationes, variae sollicitudines, diversae occupationes, de animi ulcere tamquam vermes scaturientes. His infelix anima cupit saturari, sed non potest. Unde Ieremias in Threnis: *Dederunt pretiosa quaeque pro cibo ad refocillandam animam (Lam 1, 11)*. Pretiosa quaeque sunt virtutes, quas carnales vendunt pro cibo, idest carnis delectatione, quae non satiat, sed aliquantulum videtur animam refocillare.

10. --- Huic mendico Lazaro, ulceribus pleno, unum remanet solatium, lingua scilicet canum. Unde subditur: *Sed et canes veniebant et lingeabant ulcera eius*. Canes, a canore latratus sic dicti, praedicatores significant, de quibus in Psalmo: *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso (Ps 67, 24)*, idest a Domino: qui fuerunt inimici tui facti sunt amici tui, sicut contigit quando de Saulo factus est Paulus. Et nota quod sicut lingua canis est medicinalis, sic lingua praedicatoris, qui est medicus animarum. Unde Ieremias: *Numquid resina non est in Galaad? aut medicus non est tibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiae populi mei? (Ier 8, 22)*. Galaad, qui interpretatur acervus testimonii, est sancta Ecclesia, in qua coacervata sunt testimonia Scripturarum, in qua est *resina* poenitentiae, et *medicus*, idest praedicator, ipsam conficiens. Quare ergo plaga animae peccatricis non est sanata et cicatrix obducta?

Veniebant ergo canes et lingeabant ulcera eius. Et nota quod in hoc verbo *lingeabant* duo notantur: aviditas et lenitas, unde dicitur *lingo*, idest *leniter ago*. Praedicator enim debet cum aviditate, lingua praedicationis, ulcera peccatorum curare et cum lenitate lingere, ut mel et lac sit sub lingua sua, idest dulcis et lenis doctrina. Unde Apostolus: *Si quis praeoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite eum in spiritu lenitatis (Gal 6, 1)*.

Rogemus ergo Dominum Iesum Christum, ut hominem istum divitem, corpus scilicet miserum, pauperem voluntarium faciat, cinere et cilicio induat, *panem artum et aquam brevem (Is 30, 20)* ei tribuat, ulcera animae lingua doctrinae sanet et in sinu Abrahae collocet. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

II - De Epulonis et Lazari defunctione

11. --- Sequitur secundum. *Factum est autem ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno (Lc 16, 22)*. Impletum est autem quod dixerat Anna in primo libro Regum: *Arcus fortium superatus est et infirmi accincti sunt robore, et cetera usque ad solium gloriae teneat (1 Reg 2, 4-8)*. Super hunc locum Evangelii habes concordantiam in principio primi libri Regum, quod erant duae feminae, Phenenna scilicet et Anna. *Fueruntque Phenennae filii; Annae autem non erant liberi. Affligebat quoque eam aemula eius, idest Phenenna, et vehementer arguebat, in tantum, ut exprobraret, quod conclusisset Dominus vulvam eius, et sic provocabat eam. Porro Anna flebat et non capiebat cibum (1 Reg, 2.6.7)*. Phenenna, quae interpretatur conversio, divitem purpuratum significat, cuius conversio non ad Deum sed ad mundum, non ad caelum sed ad infernum fuit. Anna, quae interpretatur gratia, Lazarum mendicum significat, qui, praeventus Dei gratia, meruit transire in gloriam, cui gratiam et gloriam dedit Dominus.

Phenennae fuerunt filii. Filius dicitur a *philos*, quod est *amor*. Dives enim tot habuit filios quot ex carnis amore et mundi vanitate generavit opera. Unde dicitur in libro Iudicum quod Ierobaal filius Ioas habuit septuaginta filios, qui egressi sunt de femore eius, eo quod plures uxores habuit (Cf. Iudic 8, 29-30). Nota quod Phenenna

septem habuit filios, ut dicitur in HISTORIIS, et Ierobaal septuaginta, qui numerus idem significat quod septem, in quo numero universitas vitiorum designatur. Ierobaal, superior; Ios temporalis interpretatur. Dives in hoc mundo Lazaro mendico superior fuit. Filius, temporalis successus, qui ex superbia, gula, avaritia et vanagloria, quasi ex uxoribus, universitatem vitiorum generavit.

Annae vero non erant liberi, quia sterilis; quia Lazaro mendico, viro iusto, non sunt malorum operum filii, et est sterilis, idest sine illo fructu, de quo dicitur: *A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt (Ps 4, 8)*. In frumento divitiarum opulentia, in vino carnis laetitia, in oleo gulae lautitia designatur. His tribus multiplicatus fuit ille dives, de quo dicitur: *Homo quidam erat dives, ecce frumentum; et induebatur purpura et bysso, ecce vinum; et epulabatur quotidie splendide, ecce oleum*. Ille, sic multiplicatus, in inferno est sepultus. Ego vero, inquit pauper, *in pace in idipsum dormiam et requiescam (Ps 4, 9)*, in sinu Abrahae.

Et nota quod Phenenna quattuor mala faciebat Annae: affligebat, arguebat, exprobrabat et provocabat eam. Sic dives quattuor faciebat mendico Lazaro. *Affligebat eum*, quia beneficium, quod ei dare debebat, subtrahebat. Unde Isaias loquitur his, qui res pauperum non dant pauperibus: *Rapina pauperum in domo vestra. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis? dicit Dominus (Is 3, 14-15)*. Et *arguebat eum*. Arguere est convincere vel ostendere. Nullo modo plumbum ita bene convincitur vel ostenditur esse vile, sicut ex oppositione auri; sic paupertas ex opposito divitiarum. Divitis ergo abundantia arguebat mendici inopiam. Et *exprobrabat*. Lazaro ulceribus pleno dives exprobrabat, cum ante eum, prae suis foribus iacentem, purpuratus incedebat; et sic ipsum ad maiorem Dei amorem *provocabat*.

Unde sequitur: *Porro Anna flebat et non capiebat cibum. Lazarus flebat pro huius exilii miseria et pro dilatione gloriae, et non capiebat cibum, quia cupiebat saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat. Et, usquequo, Domine Deus, ille prosperabitur et iste affligetur? Quare, inquit Ieremias, via impiorum prosperatur, et bene est omnibus qui praevaricantur et inique agunt? (Ier 12, 1). Et Habacuc: Quare non respicis super inique agentes, et taces devorante impio iustio rem se? (Hab 1, 13). Dic, Domine Iesu, usquequo fiet istud?*

12. --- *Factum est, inquit, cum moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. Ecce: Arcus fortium speratus est, usque solium gloriae teneat. Super hoc habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur quod Dagon iacebat in terra coram arca Domini; caput autem Dagon et duae palmae manuum eius abscissae erant super limen: porro Dagon truncus solus remanserat in loco suo (1 Reg 5,4-5). Arca Domini est Lazarus mendicus, in quo, sicut in arca Domini, fuerunt tria: manna, tabulae et virga. Fuerunt in eo manna patientiae, tabulae dilectionis geminae, virga disciplinae. Haec arca requievit in sinu Abrahae, coram qua Dagon prostratus iacuit. Dagon interpretatur piscis tristitiae⁴. Hic est dives purpuratus, qui fuit piscis perambulans semitas maris, in hoc mundo tristitiae et in inferno. Cuius caput et duae palmae manuum abscissae erant super limen. In capite temporalis excellentia, in duabus palmis manuum potentia et abundantia, in limine egressus vitae et ingressus mortis designatur. Cum ergo cecidit Dagon, idest mortuus est dives, caput honoris eius et excellentiae, duae palmae potentiae et abundantiae, abscissae ab eo, remanserunt in limine, idest egressu vitae, et sic ipse, tamquam truncus, solus, nudus et vacuus, sepultus est in loco suo, idest in inferno. Bene ergo dicitur: *Mortuus est et dives, et sepultus est in**

inferno.

Ecce quanta Dei iustitia! Mendicus iacebat ad ianuam divitis ulceribus plenus; modo iacet dives, quasi truncus, solus. Unde Salomon in Parabolis: *lacebunt mali ante bonos, et iniqui ante portas iustorum (Prov 14, 19)*. Mortuus est Lazarus in nidulo paupertatis, de quo Iob: *In nidulo meo, inquit, moriar, et sicut palma multiplicabo dies (Iob 29, 18)*. Qui in nidulo paupertatis moritur, in domo aeternitatis et aeternae viriditatis sicut palma plantatur. *Iustus, inquit, ut palma florebit (Ps 91, 13)*.

13. --- *Dives autem sepultus est in inferno.* De hac sepultura dicit Ieremias: *Haec dicit Dominus ad Ioachim, filium Iosiae, regem Iuda: Non plangent eum: Vae, frater! et: Vae, soror! Non concrepabunt ei: Vae, domine! et: Vae, inclyte! Sepultura asini sepelietur, putrefactus et proiectus extra portas Ierusalem (Ier 22, 18-19)*. Nota quod sepultura asini talis est: dominus eius pellem retinet, carnes canes devorant. Per ossa, quae diu durant, anima significatur; pellem, idest exteriora bona, filii retinent; carnes vermes devorant; animam daemones rapiunt. Unde Ecclesiasticus: *Cum morietur homo, hereditabunt eum bestiae, serpentes et vermes (Cf. Eccli 10, 13)*. Bestiae, idest bestiales filii; serpentes, idest daemones et vermes. Talem sepulturam habuit dives purpuratus, qui in inferno fuit sepultus.

Huic secundae clausulae concordat secunda particula hodiernae epistolae: *In hoc perfecta est caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicii; quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo (1 Io 4, 17)*. Ibi dicit GLOSSA: Per hoc ostendimur perfecte diligere Deum, si non timemus adventum iudicis, non timentes apparere iudici. Lazarus mendicus, quia perfecte diligebat Deum, ideo non timebat adventum iudicis, quem se non iudicaturum, sed remuneraturum expectabat. Dives vero

purpuratus, in quo nulla fuit caritas, ideo non habuit fiduciam in die iudicii, quia hic noluit misereri pauperi. Sed viri iusti per hoc habent fiduciam, quia imitantur perfectionem dilectionis eius, in mundo amando etiam inimicos; sicut ille *pluit super iustos et iniustos (Mt 5, 45)*, consistens in caelo.

Rogamus ergo, Domine Iesu, nos mendici et pauperes tui, ut in paupertatis nidulo cum Lazaro mendico facias nos mori, et ab angelis in sinum Abrahae deportari. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III - De divitis poena et Lazari gloria

14. --- Sequitur tertium. *Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu eius. Et ipse clamans ait: Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, et ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma (Lc 16, 23-24)*. Dives oculos suos elevavit, sed frustra, quia hic oculos suos statuerat declinare in terram. Unde Isaias: *Aspiciens in terram, et ecce tenebrae tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine eius (Is 5, 30)*. Quia dives in amore terrenorum aspexit, ideo tenebrae tribulationis operuerunt eum, et lux, idest prosperitas ipsius, obtenebrata est in caligine eius, idest inferni. *Vidit, inquit, Lazarum in sinu Abrahae*. Quanta autem sit afflictio malorum videntium gaudium bonorum, ostenditur in libro Sapientiae: *Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis, gementes prae angustia spiritus, dicentes intra se, poenitentiam agentes: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisu et in similitudine improperii. Nos insensati, vitam illorum aestimabamus insaniam et finem illorum sine honore; quomodo ergo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est (Sap 5, 2-5)*.

Et ipse clamans dixit: Pater Abraham etc. Guttam aquae petiit qui micam dare noluit. De extremo Lazari digito aquam in ore suo cupit distillare, qui micas panis, de mensa cadentes, eidem dare noluit. Nominat digitum, non quod Lazarus digitum habuerit, sed per hoc ostenditur quod dives etiam minimum suffragium, sicut esset digiti intinctio, magnum beneficium reputaret, si consequi posset quod petivit.

Unde subdit: *Ut refrigeret linguam meam.* Linguam non habuit, sed pro peccato linguae poenam sustinuit, quia, sicut mos est etiam inter convivantes, loquacitati studuit. Torquebatur ante iudicium, quia luxurioso deliciis carere poena est. Nota quod non tantum in gulae vitio, sed etiam in lingua peccavit, cum in convivio loquacitati studuit. Contra quod dicit Salomon in Parabolis: *Noli esse in conviviis potatorum, et in commensationibus eorum, qui carnes conferunt ad vescendum (Prov 23, 20).* Per proximi scilicet detractionem non solum carnes, sed etiam stercora comedunt, quia non tantum bonis detrahunt operibus, sed etiam in mendaciis; et ideo tales carnes non tantum ferinas, sed, quod abominabile est, humanas comedunt, cum etiam opera fratrum laudabilia dente detractionis rodunt. Heu! quam multi religiosi hodie carnes non comedunt, sed fratres suos dente detractionis laniant. De talibus dixit SENECA: Sicut foetent inferius sic et superius. Et beatus BERNARDUS: Detrahente an detrahente audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. Et iterum: Gladius triceps est lingua detractoris; nimirum quia tres uno ictu interficit, scilicet detrahentem, audientem et illum cui detrahitur, cum pervenerit ad ipsum ipsa detractio.

15. --- Sequitur: *Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter vos et nos, chaos magnum firmatum est, ut*

hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare (Lc 16, 25-26). Nota quod iste dives aliquid boni habuit, idest aliqua bona de genere bonorum fecit, licet non in caritate, quae divinae misericordiae abundantia ei in temporalibus compensavit.

Et Lazarus similiter mala. Pro malis quae fecit, venialiter peccando, malum adversitatis in recompensatione accepit. Et ideo *hic nunc consolatur, tu vero cruciaris.* Et nota quod in peccato mortali existenti, bona de genere bonorum, quae facit, ad quinque prosunt. Primo, quia habilior fit ad gratiam suscipiendam; secundo, ad bonum exemplum proximi; tertio, ad suefactionem boni; quarto, ad recompensationem temporalis beneficii, sicut isti diviti; quinto, ad mitiorem poenam inferni, si decesserit in mortali.

16. --- Super hoc habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur, quod tulit David hastam et scyphum aquae, quae erat ad caput Saul. Cumque transisset David ex adverso et sederet in vertice montis de longe, et esset grande intervallum inter eos, clamavit et dixit ad Abner: Vide nunc ubi sit hasta regis et ubi sit scyphus aquae, qui erat ad caput eius (Cf. 1 Reg 26, 12-13.14.16). David manu fortis, Saul abutens interpretatur. In hasta divitiae, in scypho aquae voluptas gulae designatur. David Lazarum mendicum, qui in tantae adversitatis angustia fortis fuit; Saul divitem purpuratum, qui bonis a Deo sibi concessis abusus fuit, significat. David tulit Sauli hastam et scyphum aquae, quia Lazarus, eo quod noluit sibi misereri, abstulit Sauli, causative intellige, hastam, idest potentiam divitiarum, et scyphum aquae, idest voluptatem gulae. Et Lazarus transivit de angustia ad quietem et sedit in vertice montis de longe, idest requievit in sinu Abrahae, qui erat longe a poenis divitis. *Et elevans oculos a longe etc. Et clamavit David ad Abner: Vide ubi est hasta regis, et ubi est scyphus aquae, qui erat ad caput eius.* O epulo

dives, ubi est nunc hasta divitiarum, qua solebas percutere pauperes? Ubi scyphus aquae, ubi voluptas gulae? Modo intinguat linguam tuam, qui in flamma cruciaris. Bene ergo dicitur: *Hic consolatur, tu autem cruciaris.*

Huic tertiae clausulae concordat tertia particula hodiernae epistolae: *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor poenam habet; qui autem timet non est perfectus in caritate (1 Io 4, 18).* In caritate Lazari mendici non fuit timor, quem perfecta caritas foras misit, quia, ut ibi dicit GLOSSA, praesentes tribulationes facit non timeri caritas. Timor vero divitis, qui timuit amittere quod habebat, ipsum ad poenam mortis perduxit.

Rogamus, Domine Iesu Christe, ut de siti inextinguibili et de igne ardenti nos liberes et in sinu Abrahae cum beato Lazaro colloques. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

IV - De divitis pro quinque suls fratribus deprecatione

17. --- Sequitur quartum. *Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum (Lc 16, 27-28).* Serus iste dives magister incipit esse, cum iam non discendi tempus habet nec docendi. Postquam ardenti diviti de se spes tollitur, ad propinquos recurrit, dicens: *Rogo te, pater* etc. Nota ista tria: *domum, patris mei* et *quinque fratres*. Pater divitis fuit diabolus, scilicet imitatione. Cuius *domus* est mundus, idest mundani, in qua sunt *quinque fratres*, idest omnes illi qui sunt dediti quinque sensibus corporis. Dives, quia propter quinque sensus corporis, quos tamquam fratres caros habuit, se damnatum videt, ideo his quinque

sensibus deditis quadam misericordia, qui sibi immisericors fuit, praevidere studet. Et nota quod quinque sensus corporis carnales diligunt sicut fratres. Iusti vero habent eos sicut servos.

Unde habes concordantiam in primo libro Regum, ubi dicitur quod *festinavit et surrexit Abigail, et ascendit super asinum, et quinque puellae ierunt cum ea, pedissequae eius; et secuta est nuntios David, et facta est illi uxor (1 Reg 25, 42)*. Abigail interpretatur patris mei exultatio, et significat animam poenitentem, super qua gaudium est in caelo. Haec super asinum ascendit, idest carnem reprimit; et vadunt cum ea quinque pedissequae eius, idest quinque corporis sensus: visus scilicet intelligentiae, auditus obedientiae, gustus approbationis, odoratus investigationis, tactus operationis. Et sic sequitur nuntios David, idest paupertatem, humilitatem, Passionem Iesu Christi, quae nobis annuntiant de eo qualis in hoc mundo fuerit. Et ita fit ei uxor, anulo fidei formatae subharrata.

18. -- Sequitur: *Et ait illi Abraham: Habent Moysen et prophetas; audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham; sed si quis ex mortuis ierit ad illos, poenitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent (Lc 16, 29.31)*. Hic conicitur quod iste dives fuit iudaeus, eo quod fratres sui legi Moysi et prophetis erant subiecti; pro quo forsitan Abraham vocavit eum filium, et ipse eum patrem. Qui verba Dei despexerat, haec audire non posse suos sequaces aestimabat. Qui verba legis despiciunt, Redemptoris praecepta, qui ex mortuis surrexit, quanto subtiliora sunt tanto haec difficilius implebunt. Et cuius dicta implere renuunt ei proculdubio credere recusant. Carnales, carnis sensibus dediti, nec Moysen, idest Ecclesiae sanctum praelatum, nec prophetas, idest praedicatores, audiunt; et, quod deterius est, Christo a

mortuis resurgenti, non credunt. Credidit Saul Samueli, per spiritum pythonicum suscitato, et nos vero Dei Filio, per Deum Patrem vere resurgenti, non credamus?

Sic habes concordantiam in primo libro Regum. Dixit Saul ad mulierem pythonissam: *Divina mihi in pythone, et suscita mihi quem dixerō tibi. Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem suscita mihi. Cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna et dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul. Dixitque ei rex: Noli timere. Quid vidisti? Et ait mulier ad Saul (1 Reg 28, 8.11-13): Virum senem et gloriosum, et amictum pallio sacerdotali. Et intelligens Saul quod Samuel esset, adoravit eum.*

Nos vero quinque sensus corporis non tamquam fratres, sed tamquam servos habeamus; Moysen et prophetas audiamus; Christo, a mortuis resurgenti et ad dextram Patris sedenti, credamus, credentes diligamus.

19. --- Unde huic quartae clausulae concordat quarta particula epistolae: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? (1 Io 4, 19-20).* Ibi dicit AUGUSTINUS: Si eum quem videt humano visu spirituali caritate diligeret, videret Deum, qui est ipsa caritas, visu interiori, quo videri potest. Qui ergo fratrem quem videt non diligit, Deum, qui est dilectio, qua caret qui fratrem non diligit, quomodo potest diligere?

Rogemus ergo, fratres carissimi, Deum, qui est caritas, ut det nobis diligere paupertatem mendici Lazari, abhorrere divitias divitis purpurati, a sepultura inferni liberari et in sinu Abrahae collocari. Ipso praestante, cui est honor et gloria, decus et imperium, per aeterna saecula. Dicat omnis verus pauper: Amen. Alleluia.